

**Tentamen medicum de pleuropneumonia inflammatoria / [Raymond Arduset].**

**Contributors**

Ardusset, Raymond.

**Publication/Creation**

Montpellier : J.F. Tournel, 1791.

**Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/dckw8yb6>

**License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>


11182/P 55751

# TENTAMEN MEDICUM

D E

PLEUROPNEUMONIA INFLAMMATORIA,

QUOD, divinâ aspirante gratiâ, in augustissimo Ludovicæo medico Mospeliensi, argumentantibus ILLUSTRISSIMIS PROFESSORIBUS REGIIS D. D. P. J. BARTHEZ, Universitatis Cancellario; G. RENÉ, Decano; A. GOUAN, Pro-Decano; F. BROUSSONET; F. VIGAROUS; H. L. BRUN; H. FOUQUET; ad primam appollinarem lauream consequendam, publicis subiciebat disputationibus, AUCTOR RAIMONDUS ARDUSSET, Nazatensis, in novâ, partitione dictâ *Département de la Gironde*, olim apud Aquitanos; in alinâ Burdigalensi Facultate liberalibus in artibus jam laureatus, celebris hujusdem urbis Musei focius, nec-non in hâc-ce saluberrimâ Universitate medicâ jam - dudum Alumnus, pro trimestri januarii anni 1791.



M O N S P E L I I ,

Ex Typis JOSEPHI - FRANCISCI TOURNEL, Universitatis  
Medicinæ Typographi & Bibliopolæ,

M. D C C. X C I,

LIBRARIUM MUSEI HISTORICO-NATURALIS

D. 17

LIBRARIUM MUSEI HISTORICO-NATURALIS

Quicumque artem medicam integrè adsequi velit,  
primùm quidem temporum anni rationem habere  
debet, deindè ventorum. HIPP. de aër. loc. & aq.

---

Quicumque artem medicam integrè adsequi velit,  
primùm quidem temporum anni rationem habere  
debet, deindè ventorum. HIPP. de aër. loc. & aq.

---



LIBRARIUM MUSEI HISTORICO-NATURALIS  
MUSEUM HISTORICO-NATURALIS  
LIBRARIUM

---

AVUNCULO. SUO. CARISSIMO.

ET. COLENDISSIMO.

AMICO. INTEGERRIMO.

ANDREÆ. FUMAT.

PRIMUM. È. MUNICIPALIBUS. VIRIS.

NUNC. ADMINISTRATORI. APUD.

VAZATENSES. DIGNISSIMO.

Tuum ergà me , Carissime Avuncule , memori animo recolens amorem , primum juvenilis calami , in arte medicâ conamen , lubenter ad te defero. Mihi enim non satisfecisse putarem , si tempus illud quod mihi nunc suboritur votis meis accomodatissimum , prætermitterem , absque publico ergà te monumento. Ast quàm doleo , me modo digniori non posse justissimas promere testificationes ! Verum quale est scriptum consecratumque tentamen , tanquam publicum meæ ergà te gratitudinis testimo-

nium, benigno accipias lumine, te obtestor. Felix ego, si id à te obtineam! Felicior, si me etiàm semper amicum habeas illo studio. quo me hæc tènus tam liberaliter es profecutus! Quod mihi erit reliquum, pro tot tantisque, sitienter appeto, ut per longam adhuc annorum seriem quam clementissimè spiritu fruaris. Vive itaque felix! Vive sospites incolumesque dies! Quo animo ergà te, nunquam non perseverabit,

**Addictissimus & reverendissimus  
sororis filius.**

**RAIMONDUS ARDUSSET.**



# TENTAMEN MEDICUM

DE

PLEUROPNEUMONIA INFLAMMATORIA.

**T**OT interque tantas ac propè infinitas morbo-  
 forum affectuum copias, quæ hominum sanitati  
 quotidianas struunt insidias, nullæ frequentius  
 occurrunt, quàm inflammationes genuinæ, queis  
 pectus obsessum tenetur, queisque modo tam  
 præcipiti luctuosa parantur funera. Hasce morbosas  
 affectiones tironis viribus accommodatiores, utpotè  
 omnibus cognitæ, nec-non à clar. viris de re medicâ  
 optimè meritis perspicuè delineatas, pro tentamine  
 prodeunte in lucem, evolvere mihi est animus. Ast  
 rerum concatenatio & horum elucidatio, quæ ad  
 theoriam & curationem referuntur, tot in medium  
 duxere lites, ut sæpè sæpiùs inceptum illud titu-

A

bantes terruerit vires ingenii , quod nec tractationum consuetudo , nec , quâ opus est , eruditio ornant. Verùm eximiis Auctorum observatis innixus , sicuti & lectionibus hac in scholâ quotannis luculenter explanatis , incipiam. Intereâ tamen , si illust. Prof. specimen illud quod rudi tremulentâque manu sum affecutus , haud benè expositum judicetis , si quid inter legendum vobis occurrerit minùs benè conditum , sanæque Medicinæ minùs consonum , mihi mearumque virium tenuitati , ignoscatis , vos enixè rogo.

Diù multùmque fuit disputatum , de instituendâ pleuritudis ac peripneumonix differentiâ. Alii *Hipp. Riviere , Van-Swieten , Lieutaud , Selle* , experienciâ duce testantur , binos illos affectus planè esse diversos , diversamque sedem , pulmonem nempe & pleuram occupare , ita ut sola pleura sæpissimè inflammatione afficiatur , illæso pulmone , aut saltem ita leviter affecto , ut morbus illius partis dici nequeat. Undè fit pleuritis , cùm pleura , & peripneumonia , cùm pulmo inflammatione laborat. Alii , *Servius , Sydenham , Hoffmann , Macbride , Triller , Cullen , Tissot* contendunt , suamque sententiam auctoritate , ratione & experientia confirmant , in omni pleuritide ferè semper pulmonem cum pleurâ inflammari , & vice versâ , fluxione in utramque partem facilè decumbente. Quidquid sit de variis illis opinionibus , quid immoraremur ? Lubenter enim possumus fateri , pleuram , illæsis pul-

monibus, pulmones, illæsâ pleurâ, pulmonesque simul cum pleurâ, inflammatione posse laborare. Ast cum symptomatibus cuilibet affectui propriis morbi sedem difficillimum sit distinguere, cum & insupèr, noto jam mali fomite, nullum ferè sit ac essentialè discrimen in ratione medendi; cum tandem laborante pleurâ, pulmones facilè in consensum trahantur, & vice versâ, affectis pulmonibus, morbus ad pleuram usque protendatur, quid nobis erit impedimento, quin, illa, aliave pars inflammetur, ad *pleuropneumoniæ* denominationem descendamus?

Pleuropneumoniam veram seu inflammatoriam sævire testantur omnes, quotiès pectus laborat dolore lateris modò acuto, pungitivove, modò obtuso, gravativo, ad inspirationem adaucto, agminatim stipantibus thoracis oppressione, tussî nunc siccâ, nunc humidâ, faciei rubore, acutâ febre, pulsu modò celeri, duro, tactumque ferranti, modò parvo, molli. Quæ omnia, morbo furente, furunt.

Quibus signis pleuropneumonia præsens cognosci possit, vidimus. Sequitur jam, ut de variis ipsiusmet speciebus, pauca dicantur. Humidam enim & siccam, veram & spuriam, symptomaticam & idiopaticam hanc affectionem dixerunt Auctores. Ubi ergò ab initio morbi sputa per tussim educuntur, qualiacumque demùm hæc fuerint, dicitur *humida*. Si verò nihil, vel per exiguum expuitur, non solum in morbi principio, sed etiam

in ipsius progressu, ita ut sicca, inanifve tussis ægros vexet, *sicca* vocatur. Ubi verò, membrana ipsa costas internè succingens, simulque pulmonum substantia inflammatione afficiuntur, *vera* nuncupatur: è contrariò, cùm superiores his partes, integumentisque externis magis vicinæ vexantur, *spuria* appellatur. Quandò à materie prægressi morbi in corpore stabulante, suboritur, *symptomática*; hinc biliosæ, gastricæ, rheumaticæ, catharrales & aliæ catervatim enascuntur, quæ omnes longè discrepantes, pro circumstantiis constituunt morbos varios, variamque proindè sibi vindicant medelam, ut optimè nos docent *Sauvages, Huxham, Stoll & Vigarous*, Præcticus felicissimus, Universitatisque Professor clarissimus. Quandò morbi causa, à primo ipsius morbi exordio, in locis intercostalibus hæsit, non verò in aliâ corporis parte priùs nata, dein relictâ priori sede, has partes occupavit, tunc est *idiopática*, seu primaria affectio. *Van-Swieten*. De hac tantùm ultimâ sum dicturus, tùm ob paginarum angustiam, tùm quod frequentissimè per agros bachatur & urbes.

Nunc de causis agendum est. Huc referuntur omnia quæcumque valent ansam præbere inflammationi tùm pleuræ tùm pulmonum; quæque omnia eò acriùs assurgere notum est, quod diathesis inflammatoria in sanguine jam sit stabulans. Dudùm ab *Hipp.* fuit annotatum: *frigidum ventum, siccum dolores costarum & pectoris excitare*, aph. 5, lib. 3.

Et alio in locò : *tempore hiemali & vernali* ( ubi hæc viget tempeftas ) *pleuritides ac peripneumonias maximè fieri, & quidè m vehementiffimas.* Verum illud & constans illius parentis Medicinæ fucceffores fuis obfervatis comprobavere, quòd iis, qui acri rigente gelu, flanteque boreâ, excaleftacto corpori *frigidam* ingerunt, pleurítico morbo pectus inflam-matur. Hinc tot bajuli, venatores, ruftici, milites, cursores, aurigæ, equifones, operarii, idque omne genus hominum lethales pœnas luunt, quod à valido labore incalentes, nudo ferè corpore quiefcant, gratamque auram frigidiusculam fitienter captent. *Van-Swieten, Triller, Tiffot.* Hinc plures ab eâdem causâ homines è vivis ad Acheronta ruunt, quàm peste, fame, bello. *Sydenham.* Non minùs luctuofa perpatiuntur funera à potu videlicèt per-frigido, cum eo se proluunt, fudore multo dima-nantes, atque ex itinere, vel foci calore, vel exer-citatione quâlibet excalentes. Innumera apud Prac-ticos occurrunt, quæ hæc confirmant. Nunquàm, inquit *Van-Swieten* : pleuritides ac peripneumonias magis sævas, & citiùs lethales vidi, quàm à potu gelido affatim haufto. Juvenis, pilæ lusu dùm ex-caleftceret totus, hauftris hauftru repetito gelidiffimis aquis, intrâ trihorium lugendâ purpuream animam efflavit pleuritide. « Cette maladie ( l'inflammation » de poitrine ) est fréquemment produite par la » boiffon froide, quand on a chaud ; & alors elle » est quelquefois fi violente, qu'on l'a vue tuer

» le malade en trois heures ; un jeune homme  
 » mourut au pied de la fontaine même où il s'étoit  
 » désaltéré. , *Tiffot* » Memorabile est exemplum  
 apud clar. *Boërhaave*, de juvene qui potu gelido  
 ore propinato è superis subitâ ferè nece fuerat pe-  
 remptus. Sexcenta adhuc stant alia , quibus diræ  
 enascuntur thoracis affectiones. Etenim anni tem-  
 pestas , epidemia regnans , suppressio evacuationum,  
 retrocessio humorum ad cutem prorepentium , mo-  
 tus immodici , saltus nimii , veneris abusus , animi  
 pathemata , protractæ vigiliæ , & deniquè quæ-  
 cumque sanguinis velocitatem , fibrarumque ten-  
 sionem adaugere valent , inter millena , annume-  
 randa veniunt , quæ facilem semitam pandunt lupo  
 mox ovili sævituro. Pro causâ verò pejore mor-  
 borum lateris habuerunt Auctores , copiosam vini  
 ingurgitationem , ac præprimis spirituum fermenta-  
 torum abusum. Equidè ex clamat *Triller* : fre-  
 quentissimas & acerrimas perpatiuntur pectoris  
 affectiones , qui potui spirituosiori , præsertim vini  
 spiritui , plus justò per vitam indulgent. « Les mi-  
 » sérables , dit *Tiffot* , qui se livrent à l'ivrognerie  
 » & à la boisson des liqueurs spiritueuses sont sujets  
 » à de fréquentes inflammations de poitrine , qui  
 » souvent les emportent à la fleur de l'âge. »

Observationibus variis variorum haud infimi sub-  
 fellii auctorum edocemur , non omnem ætatem diris  
 multari pectoris inflammationibus. Monuit enim  
*Hipp. pleuritidem ac peripneumoniam non fieri*

atè pubertatem. (Coac. prænot.) Interim tamen  
 quandoque licet rariùs, & junioribus hic morbus  
 contingit, assentientibus *Van-Swieten*, *Fouquet*,  
*Boerhaave*, Prof. illust. Ob eandem rationem, robus-  
 simos præ debilibus, exercitatissimos præ otiosis,  
 facientes & sanguineos præ obesiss & pituitosis,  
 masculinos præ fequiori sexu, juvenes præ senibus, ado-  
 scentes præ junioribus pleuritidi ac peripneumoniam  
 longius vivere observare *Sydenham*, *Van-*  
*Swieten*, *Stoll*, & præsertim *Triller*, ut videre  
 potest in eruditissimo simul atque utilissimo tractatu,  
 quem de *pleuritide* conscripsit; & reverà in his  
 calidiora vasa, robusta, contracta, humoresque densi,  
 motiùs & celerius moti; in istis verò, solidorum  
 compages, humerisque pituitosi in fluidis præ-  
 minium observantur.

His ità perpensis, hariolari certò poterit medicus,  
 an pleuropneumoniam verà laborare, si absque  
 ulla prægressis prodromis, subito morbus ingruat,  
 calore valido cum anxietate, angore, per aliquot  
 dies perdurante, tragædiam ordiens. Frigus sub-  
 stituitur calor horripilatione recurrente nonnumquam  
 intermixtus. Apparent intereà dyspnea, dolorosa  
 respiratio tum uniùs, tum alteriùs lateris, oppressio  
 thoracis, in dorsum decumbendi necessitas, tussis  
 nunc sicca, nunc humida, & plerumque striis san-  
 guineis immixta, facies rubra, quandoque flavo-  
 ra, oculorum emicatio, lingua alba, sicca,  
 siccitas, labiorum, totiùsque habitus cutis siccitas,

ariditas, halitûs calor, sitis, cephalalgia, urinæ parvæ & flammeæ, alvus nulla, aut rara & resiccata. Pleurâ magis quàm pulmo inflammatione laborante, dolor lateris acutus, pungitivus, fixus ut plurimum & circumscriptus, licet ad scapulas quandòque protendatur. Pulsus celer, durus, ferrans, parvus haud rarò per oppressionem; lentus verò & mollis, si pulmo magis inflammatione mulctetur. Febris uno tenore pergens, cum levi ut plurimum ad vesperam intensione, absque intermixtis horripilationibus. Talia hæc sunt, quæ sub irritationis tempore inhorrescunt, quæque subindè silente, silent, aut feditiosius exacerbantur, acrius insurgente clade.

Ast verò, licet hæc omnia symptomata ad veram scû phlogisticam pleuropneumoniam pertineant, nihilominus quandòque medicus in hostem mox pugnaturus, diù multùm hærens ac suspensus tenetur, sollicitè secùm disputans, nùm morbus sit biliosus, an inflammatorius; non enim, observat clar. *Stoll*, ea semper morborum pectoris ratio est, ut non multa inter se communia habeant, nec alteri alterius persapè speciem præ se ferat. His in angustiis, quid erit medentium, inferiùs, in curatione scilicet in medium sum prolaturus.

Interea ut secura pleuropneumoniam genuinam diagnosi instituat, sequentia simul erunt perpendenda: scilicet aëris constitutio; epidemia regnans; signa superiùs dicta; præcedens status valetudinis; nonnullaque alia apud auctorem jam citatum jucundè delineata.

Pleuropneumoniam genuinam, ut jam dictum, rarios inter acutissimè furentes uno ore recensentores. Stadia enim varia percurrens, tertio, quarto, septimo, aut nono die, nonnunquam, vel interitum, vel in salutem terminari observatur. Ast agnosim quàm sit difficillimùm stabilire! Undè exinat *Baglivi*: *ô quantum difficile de morbis pulmonum certum dare præfagium!* Dantur tamen quædam, queis vel salutis spem, vel ultimam lumen ominari. Igitur, si jam adhibitâ medicamine tempestivâ, dolor lateris, oppressio, dyspnea, hæc minùs ægrum molestant, remissionem morbum significat. Si è contrariò dolor sit vehementior, difficultas major, tussis siccior, itemque cæcis, cujus hæc omnia sunt satellitia, acerrimè existat, periculofum tunc morbum oportet existimare. *Riviere med. pract.* Respirationem quàm proximè in his affectibus pulmonum observandam volunt quam plurimi in arte viri clarissimi. Docet *Baglivi*; illam præcipuè, ac ferè unicè in morbis pectoris perscrutandam. Hæc si, prava fuerit, ait *Stoll*: *Timè semper, etsi omnia reliqua sint exoptatos portendant.* « La difficulté de respirer indique sur-tout le danger. Si le malade ne peut respirer avec une certaine facilité, que quand le tronc est élevé, si, dans cette position même, la respiration est très-difficile, on peut assurer que le danger est éminent. » *Cullen*, *l. par Bosq.*

Morbi causam minui, felicemque instare resolutionem novimus, si cum sputo fiat magnâ copiâ excreto, flavo, cum paucis sanguine mixto, fiatque liberè intrâ tertium diem prodeunte, minuantur dolores manifestumque levamen ægri percipiant. Apud *Hipp.* etenim legitur : *omnia sputa mala esse quæ dolorem, non sedant; omnium vero optima esse illa, quæ dolorem sedant. prog. aph. 51.* Verùm videtur & contingere causam morbi materialem, loco motam, per aperta vasa, quibusdam in locis corporis, laudabili cum ægri levamine, viam invenire. Perscrutante enim manu versatis practicum operibus observare datur, in morbis acutis inflammatoriis, uti & in pleuropneumoniâ materiæ morbosæ perturbationes quândòque posse fieri per sudores, urinas, alvum, hæmorrhagias salutaribus cum levamine malorum. Sic optimè *Triller* annotat : plerùmque servari pleuriticos beneficio naturæ, neglectâ etiâ sanguinis missione, si intrâ primum & quintum diem, sanguis purpureus & floridus affatim de naribus profluat ; dùm plerùmque è superis abeunt ægrotantes, nigro, foetido affluente sanguinis effluvio. Adstipulatur etiâ clar. *Tiffot* monens : « il survient quelquefois des saignemens » de nez, même après plusieurs saignées, qui sont » très-favorables, & qui soulagent ordinairement » beaucoup plus que les saignées ; mais il en » survient quelquefois d'une espèce de sang noir » & corrompu, qui annoncent la mort. » Sic apud

clarissimum *Macbride* legere datur : « une fièvre  
 » douce , copieuse , générale , accompagnée de la  
 » diminution des symptômes fébriles , & qui arrive  
 » dès les premiers jours de la maladie , en arrête  
 » quelquefois la marche. » Sic illust. *Stoll* se  
 quandòque observasse testatur , apparatu crudo  
 in intestinis stabulante , diarrhæam lenem ac  
 moderatam , vehementiori illo paroxysmo , quò  
 pleuritis plerùmque orditur , emotam , ad alvum  
 ruisse , molimine naturæ perquam salutari. Ast verò,  
 hæc levis diarrhæa non hic confundenda venit , cum  
 illâ alvi perturbatione perniciem ægri jugulo inten-  
 tante , in quâ anacatharsi suppressâ , viribusque  
 morbo humi prostratis , retentrix facultas ventriculi  
 ac intestinorum ferè anihilatur : his enim vocabulis  
 talem per alvum factam evacuationem damnavit  
*Hipp. pleuritide aut peripneumoniâ correpto alvi*  
*profluvium malum , aph. 2 , sect. 7.* Nonnulla sunt  
 adhuc hostilis materiæ è loco motiones , quæ modò  
 cum infelici , modò cum prospero eventu enascuntur ;  
 eventus autem bonus creditur illius metastasis , si  
 ad talem corporis fiat partem , cui minori cum  
 periculo potest inhærere. Sic ab interioribus ad  
 exteriora , bonum ; à pectore verò ad cerebrum ,  
 malum ; celeri enim pede subsequuntur syncopes ,  
 delirium , phrenitis , & nonnunquàm intrâ paucas  
 dies , imò & horas , mors. Cæteroquin , ubi hume-  
 rum , scapulas , dorsum dolor occupat , læta est  
 prognosis ; omnesque ferè sani ad suos redeunt , ut

suis confirmant observatis *Van-Swieten*, *Triller* (1). Quoàd pulsum, *Stoll*, *Fouquet*, *Selle*, *Tiffot* parvum, mollem & debilem voluere periculosissimum. Parvum verò frequentem & durum affirmant lethalem *Lomnius* & *Galenus*. *De pulsu*, lib. 5.

Tandem ut omnia, quæ tum bonam, tum malam prognosim adimplent, per paucis complectar, quid sequentia ex *Hippocrate* collecta, in medium proferre vetat? Sunt autem hæc bona, morbum ipsum facile ferre, ex facili spirare, dolorem sedatum esse, facile sputum extussire, corpus æqualiter molle & calidum apparere, sitim non habere, urinas, dejectiones, somnos & sudores, singula bona succedere: hæc si contigerint, non morietur homo. È contrariò: quibus pleuriticis strepitus sputi in pectore est, pulsus exilis, dyspnœa erecta, delirium, facies tristis, oculus morbi regii colore infectus, ac caligine obductus, hi pereunt. C. præn.

His omnibus æquâ lance perpensis, medico ad hostem extrâ muros expellendum sese accingenti, incumbendum venit, ut humorum circulantium copiam, impetumque furentem eorundem in loca

---

(1) Diebus decembris ultimi, in nosocomio hujusce urbis, gallicè *Saint-Eloy* dicto, plurimos inter ægros pectoris morbo inflammatorio laborantes, militem egomet vidi pleuritide verâ læsum, cui sexto morbi die, dum metastasis, relicta priori sede, ad scapulas aderat, omnia subindè bona contigerunt. Non paucis exactis diebus, solitâ medicatione factâ, suos sanus repetiit.

inflammata, quantocius minuat: per amplum ergo vulnus, largam venæ-sectionem quàm citissime celebrari jubeat, iterandam post aliquot horas, si res postulat, manu tamen in genere parciore. Quamvis autem sanguinis missio in morbi principio præprimis conferat, tamen quandoque ad altiori jam morbo, scilicet sub quinto, sexto, septimo, octavo, nonoque die, si in exordio fuerit neglecta, aut insufficienter celebrata, cum fructu sanguinem de venis missum fuisse constat; notabile est exemplum apud *Hipp.* qui *Anaxioni* secuit venam octavâ morbi die, vel quòd citius non fuerit vocatus, vel quòd in pleuritide crudissimâ, quæ undecimo die vix coqui cœpit, morbus tulit inducias. Haud minori fortunato cum eventu *Hipp.* vestigia legentes nonnulli auctores *Van-Swieten*, *Triller*, *Tissot*, &c. Ineunte etiam die nono, pessima dum symptomata, metusque suffocationis ingruunt, evacuato sistemate sanguifero, ad vitam quandoque revocant ægros eluctantes inter mille mortis propinquæ imagines.

In morbis inflammatoriis plerisque, sanguis è venâ eductus obtegitur in parte superiori insulæ pelle crassâ, albâ, tenaci. Hæc pellis *phlogistica crusta* nuncupatur. Quamdiu illa crusta albicans in sanguine profuso conspicitur, tamdiu statuere medentes quamplurimi venam secandam esse. Quàm autem infida sit illa indicatio! quàm sola cruoris inspectio ad therapèiam parùm conferat! equidem; in laterali

morbo bilioso rheumatico crassa apparet crassior ut  
 plurimum, & major ita ut parum, aut nil fermè  
 nonnumquam crassamenti adparuerit. *Stoll*; « Il  
 » arrive souvent, disent *Macbride* & *Tiffot*,  
 » que dans l'inflammation de poitrine la plus vio-  
 » lente, cette croûte ne se forme jamais. » Certa  
 fide hunc *corium phlogisticum* observasse testantur  
*Van-swieten*, *Barthez*, *Univerfiratis Cancellarius*  
 illustr. tum in pleuriticis, tum in sanissimis homi-  
 nibus, quibus ob causam quam appellabant *prophy-*  
*lacticam*, vena fecabatur. Sic ergò, ut latex purpu-  
 reus pleno effluat rivo, non tantummodò ab illâ  
 pleuriticâ crustâ medicus se gerat, sed potius à  
 concursu variorum symptomatum, scilicet à doloris  
 & febris intensitate, statu virium, calore arido,  
 tussi siccâ, sputorum coctorum absentiâ, pulsu duro,  
 difficultate respirandi, quæ quamdiù vigent, tamdiù  
 viget solvendi, emolliendi, & massam sanguineam  
 minuendi indicatio. Ast autem, fractâ jam phlo-  
 goseos intensitate, solutove morbi, impete primo,  
 si natura per sputa crissim incipiat moliri, venæ-sectio-  
 nibus valedicendum, ni signa refovescentis adhuc in-  
 flammationis, ut febris fortior, respiratio molestior,  
 sanguine nimis tincta excreta materia, &c. hospi-  
 tantem adhuc in pectore indicent inflammationem,  
 & iterum jubéant ferro debellare. Quinimò etiamsi  
 phlebotomia in morbi exordio præstantissimum sit  
 auxilium, vitalis tamen laticis prodigus non adeò  
 pebet esse medicus, ut in illo effundendo diutiùs

quàm par est, immoretur. Incautum enim hisce largis sanguineis evacuationibus, fractis jam ægrorum viribus potius, quàm morbo, hostilem materiam in coctionem resolvere conaretur; & reverà, vis vitæ nimis dejecta, muneri fungendo impar, prius oneri succumbet, quàm opus suum aggrediatur. Vitali igitur profundendo latici non fufius indulgendum. Talis enim *sanguinaria* medicatio, virum accersens ruinam, febrile incendium alit, & ut ait poeta :

Multas præstantes animas acherontis ad oras

Præcipientes dedit ante diem.

Hom. Iliad.

Hinc sanguini parcendum, & simul sunt præscribenda quæ orgasmum sanguinis compefcant, ut arga potuum refrigerantium copia, emulsiones nitratae, vapores aceti puri, succus aurantiorum acicululus, decocta hordei, avenæ, cum oxymelle, vel melle simplici aut sambuco, quæ calidè crebrò, sed parvâ copiâ hausta humoris ardorem, ebullitionem cohibent, & omnibus simul favent secretionibus. Sic enim *Huxham* de hisce haustibus :

Toutes ces potions satisfont parfaitement à l'indication, étant bues chaudes & à plusieurs reprises : par ce moyen une grande partie de la vapeur résolutive de ces liqueurs rafraîchissantes & humectantes, passe dans les poumons & dans leurs vaisseaux, délaie & humecte la matière qui les obstrue. » Enemata hic pariter conveniunt,

quæ dum liberam alvum servant, cavent-ne constipatione calor adaugeatur, cephalalgiam, abdominis dolores leniunt, derivationem que humorum è pectore cient. Haud minori cum effectu hic quoque pediluvia possunt adhiberi.

Primariâ medicatione jam adhibitâ, cum materies aliena mobilis effecta, ob lentorem, aut vim vitæ nimis dejectam sputando educi nequit, pulmonesque sub pondere gravat, convenit medicamento movente, attenuante, stimulante viribus vitæ debilitatis suppetitas ferre, ut secretiones & excretiones quæ ob morbi vehementiam, diurnitatem, prægressasve largas, sanguineas evacuationes languent, admoto pectorantium stimulo resuscitentur. Hunc in scopum medicamina è tartaro stibiato, oxymelle scillitico, kermete minerali, aliaque hujusmodi adhibeantur, illâ tamen dosi, ut nec vomitum, nec alvum movere queant. Quinimò in exhibendo kermete minerali, itemque propinandis quibuscumque expectorantibus ex classe mineralium, non præmaturè agendum censet eruditissimus *Stoll*. Rebus enim jam in vado propè modum positis, medicamen expectorans maturius ac par est exhibitum, novos febriles motus, doloso sub cinere latitantes excitat, venæ sectione compescendos: undè in illud incurritur discrimen, ne cum jam in laticem vitalem latiùs peccatum est, nimiùm vis naturæ prostrata, munus suum iterùm subire recuset. Itaque, ut perpaucis cum clar. *Stol*

dicam ; quamdiù aliqua adhuc inflammatio adest ; etsi ob celebratas sanguinis missiones , multùm à suo vigore remiserit ; quinimò , quamdiù vel prudens suspicio , metusque est , ne denuò phlogosis recrudescat , in emollientibus , refrigerantibus , solventibusque solis insistendum , damnandusque est intempestivus remediorum sputa moventium usus.

Nunc verò , si à quâcumque causâ anacatharsis , aliæve criticæ perturbationes , subito sufflammentur ; si & interim pessima referveant symptomata , angor , dyspnea , dolor pectoris , in aperto versatur æger discrimine , & nonnunquàm hac in re præcipiti , fit anceps medicus. Gravem enim , ex commisso in ratione medendi errore , noxam sequi necessum est. Et reverà : quàm alto se mari committat , ventorum lubibrium , fluctuumque præda , si ubi vis vitæ , *debilitate verâ* , molem ulteriùs promoverè haud potis sit , educat sanguinem certissimè non reum ! Hic enim ambobus utique brachiis complectenda veniunt cardiaca , roborantia , stimulantia , ut decocta corticis cum camphorâ , infusa radicis serpentariæ virginianæ , contrajervæ , angelicæ , & præsertim vesicantia suprâ ipsummet pectus opposita , quæ dùm lævi succussione viribus stimulum addunt , dehiscens & jamjam ruiturum ædificium sæpè numerò sustentant , unica propè modùm fulcra , at imparia sæpè. Cùm verò , *valentibus adhuc vitæ viribus* , materia hostilis tumultuariè impetum , & pleno agmine faciat , quid vires acerrimæ can-

tharidum, stimulative alii possunt! Pugio plumbæus in leonem! Qui clavâ herculeâ debet excipi, methodo antiphlogisticâ. Potiùs ergò, *Stoll* assentiente, irruenti hosti cedendum paulisper est, & spatia amplianda, ne intrâ angustias conclusus, sibi ipsemet exitum præcludat. Hunc in scopum, sanguinis missione, cautâ utiquè manu, & parcè & per vices & demùm potu fotuque emolliente ad doloris sensum adplicato, vias expedire conandum est. Quædam sunt auxilia alia, ad eundem effectum commendata, ut sanguifugæ, cucurbitulæque scarificatæ, quæ scapulis, dorso admotæ, ad extûs cient humores, sanguinisque plethoram localem minuunt, ut felici confirmavere praxi *Van-Swieten*, *Riviere*, *Huxham*, *Vigarous*.

Ast verò, si medicamina tempestivè fuerint adhibita, si prædicto æger usus fuerit regimine, morbusque tandem ad solutionem perveniat, crisi naturali, quæ fit ut plurimum septimo, octavo, nono, vel undecimo die, tunc temporis medicus moliminum medicatricis naturæ solummodò sit spectator, non itâ tamen otiosus, ut ægrotanti non debeat sedulò invigilare. Caveat enim, ne diuturno decubitu, stragulorumque coacervatorum tepore, tepidisque, ut mos fert, potibus, sudores admodùm pernocii moveantur. Caveat, ne aër frigidiusculus in conclavi identidem refocillatus, recta ægrotantem feriat. Caveat, ne citiùs arceantur procul potus refrigerantes, aqua pulli vituli, cremores orizæ,

hordei, panis, aliaque hujusmodi. Caveat, ne reliquæ hostiles, præmaturo purgante pharmaco, per anum evertantur. Caveat, cum ægri ex hoc morbo reconvalentes facillimè relapsum perpatiuntur, præcipuè si paulò pleniùs quàm fert ventriculus, nutriantur; caveat, inquam, ne in regulas diætetici peccetur; amarificantium verò & stomachicorum remediorum ope vires coctrices, quas morbus atque ipsa morbi medendi ratio fregerant, jubeat corroborare.

Tandèm, dicenda adhuc restant aliqua, quæ medentem in varias trahunt partes, sollicitèque secùm disputantem, nùm pleuropneumonia sit biliosa, nùm inflammatoria, nùm ex utrâque composita. Nonnunquàm enim annotante clar. *Stoll*, adeò causa mali est obstrusa, & sunt quandòque adeò complicata symptomata, ut tot argumenta pro illâ, quot pro istâ pugnent. His in rerum angustiis, medicus quam partem, quot-vè consilium arripere debeat dubius fluctuat: delicatissima enim in praxi medicâ ea res est, ubi ob periculum summè præceps in arenâ consilium capiendum. Attamen, cum quid moliri oporteat, curtam ac indirectam materiæ medicæ suppellectilem potiùs habere juvat, quàm nullam, aut comtam, aut ancipitem. Igitur, potè utrique morbo ex æquo convenientia, quæ quædam possunt adhiberi, potus copiosi cum melle, aceto & sale medio quodam; tempestivus clysterum usus; exiguæ venæ-sectiones; & quædam

alia , quæ forsàn aliquid suggerunt , undè novam potest venari indicationem. Verùm , inquit idem *Auctor* : quemadmodùm in multis aliis , ità etiàm in hocce casu evidentes canones non possunt statui ; prudens omnium quæ ægrotum spectant & adcurata æstimatio , quam usus artis assiduus , varius , judiciosus , multaque medicatio comparaverunt , agendorum in re præcipiti rationes securius supeditabunt.

*mu*  
*n*  
*mu*  
*mu*  
*mu*  
*mu*

**F I N I S .**

*[Faint, mirrored text bleed-through from the reverse side of the page, including words like 'FINIS', 'medicatio', 'rationes', 'supeditabunt', 'casu', 'evidentes', 'canones', 'statui', 'prudens', 'omnium', 'ægrotum', 'spectant', 'adcurata', 'æstimatio', 'usus', 'artis', 'assiduus', 'varius', 'judiciosus', 'multaque', 'medicatio', 'comparaverunt', 'agendorum', 'in re', 'præcipiti', 'rationes', 'securius', 'supeditabunt']*